Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Mercurii vigeſimâ-quartâ Martii.

M. PETRO CRESSE', Doctore Medico, Præſide.

An in febribus acutis initii quàm declinationis tempus purgationem potiori jure ſibi vindicat?

PURGATIO & ſanguinis detractio inſignem præ ſe ferunt in adversâ penè omni valetudine auxilii facultatem. Ubi victûs ratio manca & debilis eſt, in earum uſu ſpes poſita non decipit. Si his careat chirurgia rariùs de ſuâ dexteritate ſuperbiendi occaſionem reperiat. Nullum medicamentum eſt, etiam ſpecificum, quod utriuſque illius ſolennioris præſidii adjutum ſocietate, non ſuam virtutem cumulatiùs utiliùſque largiatur. Suo ritè loco adhibita in febrium acutarum curatione (ſub quibus videlicet ægri vita plùs in periculo quàm in tuto eſt) mira præſtant. Purgationem (vigoris quidem tempori præcipuè dedicatam), his inclinantibus omittere, nihil tanti eſt; quam nemo rerum medicarum æſtimator æquus non ſperabit, ſi ſub earum principiis turgente ex quâ prodierunt materiâ uſurpetur, luculenter ampliſſimèque profuturam.

FEBRIS carachterem primarium in calore nimiùm evecto cum totâ antiquorum familiâ agnoſcimus. Si is ſimplex & ſolitarius eſt, qualis plerarumque febrium eſt, ad eum à quo deflexit naturæ modum, nullo vel facili certè negotio revocatur. Si aliquâ notabili ſalſugine aſperſus eſt, turbas movet, quidquid opis afferamus, periculi nonnumquam pleniſſimas. Subſunt videlicet in homine (hæc genuina Hippocratis doctrina eſt, ſectæ verè & ſolidè rationalis, empiricæ nimirùm, unis intentæ cauſis evidentibus, vindicis generoſiſſimi; hypotheſeos obſcurioris cujuſlibet, quæ pauculis innixa principiis, in totâ, quanta quanta eſt, medicinâ, ſtultè præſumat dominari, qualem chymici venditant, faſtidioſiſſimi contemptoris) amarum, acidum, acerbum, auſterum, acre & mille alia ſaporum ceu ſalium diſcrimina, ſuis quæque prædita virtutibus. Hæc probè inter ſe mixta & mutuò contemperata, nec ſenſum afficiunt, nec ullatenùs incommodant. Quod ſi horum aliqua à cæteris detorta calido ſe, itidem diſſociato, adjunxerint, febribus acutis, pro eo quo valent robore, plùs minùſvè gravibus, & medicinæ auxilium non leve requirentibus, materiam ſuppeditant. Omne quod earum inclinationi antecedit tempus emendandæ illi & exigendæ ſalſitudini inſumitur; quo elapſo, ut ex ſymptomatum, quæ priùs ſæviebant, diſſipatione ſcire licet, vix ullus deindè ſupereſt dubitationi locus, quin natura eò uſque progreſſa, ut morbo ſuperior evaſerit, eum ſit deinceps, contempto inani propemodùm & gravante purgationis officio, ad ſanitatem eamque integerrimam converſura.

EA rectè dicitur turgere materia, quæ evolvi impatiens oppoſiti obicis vim vi enititur repellere. Niſus ille vehemens ſit, plurimùm; turbulentus ſit placiduſvè, nihil intereſt. Hujuſmodi aliquid febrium acutarum exordiis ſemper adeſt; ad ſanguinem frequentiùs, rariùs ad morbi fomitem, ad utrumque unà ſimul nunquam pertinens. Ut vel illîc vel hîc orgaſmus ſubeſt; ita conatus materiæ turgeſcentis aut venæ ſectione minuendus, aut eſt purgatione non leviter proritandus. Febris acutæ initio (dùm ſcilicet nulla adhuc ſatis clara vel obtinendæ coctionis, vel permanſuræ cruditatis ſigna adſunt) arteria ſe vehementer, crebrò, celeriter exagitet, ægri ſimul facies rubore multo ſuffuſa ſit, oculi micent, caput doleat, pectus æſtuet, vagi intùs dolores incommodent; aliavè ejuſdem generis ſymptomata ſe oſtendant: ſic habeto; ſanguinem effervеſcere impenſiùs, inflari & tumultuosè turgeſcentem, totum in eo eſſe, ut vaſorum ductus quibus jam anguſtiùs concluſus eſt, vel amplificet, vel etiam dilaniet: Dùm contrà, perverſis quæ haſcè turbas commoverunt ſalibus, è nativo lare profugis, intrà vaſtam venarum arteriarumque aream, cum libertate ſummâ, hâc illâc, nullâ orgaſmi moleſtiâ afflictatis, circumcurſare licitum eſt. Sub caſu quolibet hujuſmodi, purgationis adhibendæ conſilium repudiari prorsùs debet, nec ullo tutiùs effaciùſque præſidio quàm ſanguinis miſſione (iis ſolutâ legibus quas nuperus ſcriptor, nè quid dicam graviùs, paulò certè inconſideratiùs publicavit) naturam poſſe adjuvari recrearique ſperandum eſt. At ineunda ratio eſt illi omnino diverſa (quæ in variolarum etiam eruptione tardiori nonnunquàm locum habet) ubi ex percuſſu arteriæ, quàm ſymptomata quæ affident prægravia videntur poſtulare, moderatiori & in ſpeciem ἀπυρέτῳ, ſanguis quidem nativis limitibus contineri facillimè, ipſa verò morbi materia, in obtinendo quem natura enixè deſiderat evolutionis modulo, inàniter laborare atque adeò turgere agnoſcitur. Ea tùm purgationis per ſuperiora inſtitutæ potenti aculeo ità gnaviter percellenda atque exagitanda eſt; ut placidi, at tantò nequioris, quo gravatur orgaſmi vinculis expedita, partim ſe permittat remedio foràs ejiciendam; partim, eâ ſui nimirùm portione quæ intùs reſidua futura eſt, naturæ exhibeat deinceps concoquendam.

NULLIUS penè rei frequentior apud medicos quàm orgaſmi febribus acutis incipientibus, authore Hippocrate, purgationem requirentis, mentio fit: haud ſcio an ulla alia res eorum pleriſque minùs benè explorata ſit. Quæ febris acutæ initio turgens in venis materia purgantis remedii facultate exagitari opus habet, tumultu nullo, nullâ fluctuatione agitatur: Idem propè illius tunc ſtatus eſt qui fulminis, dùm nubis quâ premitur ſpiſſiſſimæ ambitu erumpere, quantùmvis adnitatur, nondum valet. Verbo dicam orgaſmi nomine hîc intelligenda eſt, fermenti febrium acutarum parentis, non turbulenta & inſana qualem ſuprà in ſanguine animadvertimus, ſed taciturna quædam & modeſta diſpoſitio, ſub quâ, dùm ſe evolvere & pro naturæ votis explicare contendit liberiùs; forti objecto obice, nè id obtineat, prohibetur. Hujuſmodi caſus certè damnoſiſſimus, febrium aſſecla graviorum, præſertim malignarum, nihilò apud Græcos olim, quàm apud nos hodiè, infrequentior, idoneum, ſi quis ullus alius, purgationi utiliter uſurpandæ locum præſtat; nec ſatis pro merito quidam medici vituperandi ſunt, qui tunc morbi deceſſionem placidè atque oſcitanter expectantes, inconſultâ hujus auxilii dilatione, viam adventanti letho vel patentiſſimam aperiunt.

SUAM febre acutâ inclinationis ætatem decurrente, non ita quidem inanis eſt purgatio ut nullam omninò commoditatem afferat; verum incipiente, ſi modò orgaſmus adeſt ei ferendæ accommodus, ægros quaſi ab orco in lucem reduces facit ſæpiſſimè. Illîc id curat tantummodò, ut minùs bellè adhuc procedentis chyloſeos ſordidatiores exuviæ pleniùs abigantur; hîc ipſiſſimam morbi cauſam, ſanguinis, ut ita dicam, viſceribus etiamnùm inhærentem, fronte adversâ adoritur, extorquet & adminiſtro ſucci cujuſvis obvii vehiculo (ſcatemus autem innumeris) eliminat. Quam in febre quâlibet aſſiduâ tempus declinationis aſſequutâ alvi dejectiones materiam ſufficiunt, cave eam eſſe exiſtimes à quâ illa dimanavit & undè tota quæ priùs acta eſt proceſſit tragædia; ſubacta ope mixtionis & concocta, vel jam penè omnis abierat, ubi primùm morbus, cùm quadam viſus eſt conſtantiâ miteſcere; nec quidquam tunc deſidendo egeritur, longiùs quàm à ventriculo arceſſitum, quod in dies elaboratius naturæ ſenſim revaleſcentis ſignum, haud ullam niſi fortè leviſſimam & pro nihilo reputandam cauſæ morbidæ portionem ſecum portat. Ibi quieſcere & ſupervacuas purgationis moleſtias devitare valdè licet. At ſub principiis, orgaſmo, non fictitio, ſed ab evidentiſſimâ rei ipſius naturâ repetito, qualem propoſui, ſæviente: Ea protinùs vel cùm quâdam interdùm temeritate rapienda eſt; nè vera morbi materia, ſuccutientis illius præſidii beneficio deſtituta, aut evolvi non poſſit ullo modo, quâ calamitate in acutis febribus nulla major; aut victrix propoſiti, effuſiùſque de ſubitò explicata, alicui ex iis partibus quarum integritate ſuſtinemur, tumultuosâ & turgidâ ſanguinis efferveſcentiâ miniſtrante, inflammationem accerſat, nullâ ſæpè artis noſtræ operâ quantùmlibet vehemente domabilem. Hanc doctrinam monſtrat experientia, defendit ratio, tutatur, quem hîc valdè ſequi ſtuduimus authorem, Hippocrates. Nuſquàm ille de purgatione ſub febrium acutarum finibus uſurpandâ ſolicitus, in libro aphoriſmorum, verbis jubet conceptiſſimis, cogit atque imperat, ut iis incipientibus (ſi modò turgeat undè enatæ ſunt materia) quamprimùm & ſine ullâ procraſtinatione celebretur.

Ergo in febribus acutis initii quam declinationis tempus purgationem potiori jure ſibi vindicat.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS DEMONDIERS DUGUE', Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. MDCC.